MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80629-1

AUTHOR: KEIL, HEINRICH

TITLE: IOANNIS AVRISPAE....

PLACE: HALAE

DATE: [1870]

Master Negative #
92-80629-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Keil, Heinrich, 1822-1894.
...Ioannis Avrispae epistvla edita ab Henrico Keilio. Halae, formis Hendeliis, [1870]
x p. 29½ cm.


At head of title: Index scholarvm in Vniversitate litteraria Fridericiana Halensi...

48250

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 15x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/17/ INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXX

A DIE XXV. M. APRILIS VSQVE AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INEST

IOANNIS AVRISPAE EPISTVLA EDITA AB HENRICO KEILIO.

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

HERMANNVS KNOBLAVCH

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Cum nuper in indice scholarum, quae his hibernis mensibus in nostra universitate habentur, de schedis quibusdam rescriptis panegyrici Pliniani scriberem, veteris codicis panegyricorum ab Ioanne Aurispa in Maguntina bibliotheca inventi mentionem feci. nunc eadem scribendi occasione oblata non inutile esse visum est ipsam Aurispae epistulam edere. in qua quae ille de codice panegyricorum et de aliis codicibus manu scriptis in bibliothecis Germaniae a se inventis scribit egregia studia ab Italis illa aetate in libris veterum scriptorum indagandis et in lucem protrahendis posita novo exemplo illustrant.

Primum autem Augustus Wilmanns epistulam illam in archivio Florentino (Archivio Mediceo avanti al principato filza 96 a, 439) invenit et eam partem quae ad haec studia quae dixi pertinet mecum communicavit. deinde vir illustrissimus Cesare Guasti Florentinus per Carolum Wittium collegam rogatus ut reliqua adderet omnia accuratissime in meum usum descripsit. huius igitur viri liberalitati et comitati egregiae debeo, quod iam totam epistulam edere possum.

Aurispa Iacobino Thomasi viro claro et virtuosissimo salutem plurimam dicit. In queste jorne passate sono andato fino a Cologna et da Cologna ad una terra, la quale se chiama Axi, duve vidi io la cammisa de nostra donna, lu fazolo in lu quale fo posta la testa de Sancto Iohanne, lu quale ancora è tutto macolato de quello sacro sangue, lu panno in lu quale fu revoluto nostro Signore quando nasciò, la corda cum la quale fo colligato da Judei a la columna quando fo fragellato, lu linciolo intro lo quale fo posto al monimento et multe altre reliquie, ancora le tre mage et multe cape de virgine: tutte queste reliqnie et multe altre ho io facto toccare a unu anello, lu quale io ve mando incluso in questa litera: ve prego tegnatelu caro et cum devotione. Ja son sei jorne venne que la ambaxata da Boemii cum le ambaxatore del concilio, le quale erano andate in Boemia. Son state recepute da queste patre multo honoribelmente et havise de loro buona spiranza che seguano ad unione. Hoge recitareno le am-

baxatore retornate da Boemia in presentia de le ambaxatore Boemii tuctu lu honore lu quale receppero in Boemia et tucte le geste per loro in Boemia facte, che fo una longa dicerea.

A Nicolai, lu quale honorai et hebe sempre per mio patre, ve prego me accomandate prima, da poi le dirrete che lu mio andare verso Cologna non è stato sensa fructo, però che io ho trovato in una bibliotheca a Magunza un codice in lu quale si è un panigyrico de Plinio a Traiano, da lu quale non lesse mai più suave cosa, et in eodem codice sunt panigyrici aliorum autorum ad diversos Caesares. Ho trovato ancora un commento de Donato supra Terentio, lu quale nullo erudito lesse mai sensa grande voluptate. In Cologna trovai io Consulto de arte dicendi, rem quamdam singularem. Habemus hic Plinium cuius titulus est Phisica Plinii, sed tractatus est in medicinis.

Monsignor de Sancta Cruce et maistro Thomase serrano qui infra octo jorne, e mastro Thomase porta seco tucte le opere de Tertulliano. Son trovate multe altre cose, ma de tucto farrò una ampla epistola a Nicolai huomo claro et eruditissimo, pregalo che per adeso me perdone, che custui lu quale deve portare questa litera se parte demane avante jorno et ja è prima sera. Che Dio ve guarde. In Basilea VI. Augusti raptim. Accomandaimi a frate Ambrosio, ve prego, et a fra Jacobo et a Carolo de Arezo.

Nobili et virtuosissimo
Viro Jacobino Thomasi
Thebalducci amico meo
maiori.

Florentiae.

De Ioannis Aurispae vita et studiis quae vulgo nota sunt rettulerunt Mazzuchellius gli scrittori Italiani v. I p. **1277** et Tiraboschius storia della letteratura Italiana v. VI **2** p. **298** seq. sed neque de itinere ab eo per Germaniam facto neque de eo tempore, in quod illud incidit, quicquam ab illis memoriae proditum est. natus autem est Aurispa in Sicilia anno **1370**, si modo accurate scripta sunt quae de aetate eius leguntur in commentariis Pii II pontificis l. II p. **57** ed. Francof. a. **1614**, Aurispam annum prope nonagesimum agentem a. **1459** Pium II pontificem Ferrariam advenientem adiisse, paulo post mortem obiisse. provectiore, ut videtur, aetate (neque enim de anno constat) in Graeciam profectus, postquam per plures annos ibi moratus est, multis codicibus graecorum scriptorum collectis sub finem anni **1423** vel initio sequentis in Italiam rediit. nam primis mensibus a **1424** e Graecia redux Venetiis erat, unde Februario mense eius anni ad Ambrosium Traversarium Camaldulensem scripsit, Ambros. Travers. epist. ed. Mehus XXIV **38**. codices autem graecorum scriptorum numero ducentos triginta octo illuc secum se attulisse scribit et partem eorum indicat in epistula ad eundem Ambrosium data, quam inter Ambrosii Traversarii epistulas edidit Mehus XXIV 53*). deinde libris suis Venetiis relictis

*) Illo tempore quo dixi Aurispam e Graecia in Italiam rediisse et libros de quibus ad Ambrosium scripsit secum attulisse cognoscitur epistula Francisci Philelphi, quam hoc loco adscribam ex editione Coloniensi a. 1507 f. 5 expressam.

Bononiam profectus est, neque constat, utrum libros, quos se Bononiam adlaturum esse in eadem epistula scribit, in illam urbem transvexerit, an apud Venetos reliquerit. certe nonnulli ex iis postea cum Bessarionis libris in Venetam bibliothecam translati sunt. sed ipse publica mercede a Bononiensibus conductus per breve tempus apud illos graecas litteras docuit: cf. Ambros. Travers. epist. XXIV 55. mox Ambrosio Camaldulensi et Nicolao Nicolo auctoribus Florentiam vocatus sub finem anni **1425**, ut videtur, in illam urbem profectus est: cf. Ambros. Trav. epist. XXIV **51. 52**. neque tamen diu ibi mansit, sed principe Ferrariensi invitante Ferrariam abiit. nam a. **1428** Aurispam Ferrariae vixisse maxime epistulis quibusdam Francisci Philelphi et ad eum et ad amicos datis p. **2** et **4** ed. Colon. a. **1507** constat. in eadem urbe exeunte anno **1431** vel ineunte anno **1432** eum adiit Aeneas Silvius, qui, priusquam Basileam abiret a. **1432**, ad eum scripsit epist. **34** ed. Norimb. a. **1481**: cf. G. Voigt Enea Silvio v. I p. **17**, v. II p. **251**. sed non multo post Aurispam Florentiam rediisse, de quo dubitabat Tiraboschius l. c., probant ea quae Vespasianus vite di uomini illustri del secolo XV p. **23** ed. Florent. a. **1859** narrat, cum Eugenius IV pontifex Roma pulsus aestate anni **1434** Florentiam veniret, inter doctos homines qui tum ibi versabantur fuisse Aurispam. quae verba quia expressam imaginem vitae, qualis tum inter doctos Florentinos erat, ante oculos ponunt, adscribam. *Partitosi papa Eugenio da Roma, per certe insidie che gli avevano fatto contra i Romani, ne venne a Firenze; e con lui il cardinale di Santa Croce; e maestro Tomaso venne a Firenze, dov' erano in questo tempo molti singulari uomini, e il simile in corte. E perchè messer Lionardo d'Arezzo, messer Giannozzo Manetti, messer Poggio, messer Carlo d'Arezzo, messer Giovanni Aurispa, maestro Gasparo da Bologna, uomo dottissimo, e infiniti altri dotti venivano ogni sera e ogni mattina sul canto del Palazzo, dove disputavano e conferivano di varie cose, maestro*

Franciscus Philelphus Ioanni Aurispae Salutem.

Moverunt mihi risum litterae tuae, quibus Macrobium atque Dionem, quos commodato acceperas, repetenti responderis eos me tibi dedisse dono quo tempore Constantinopolim (*l.* Constantinopoli) sum profectus ad regem Romanorum Sigismundum. Et ita niteris oratione mihi probare tuum commentum, ut, nisi iuvenis admodum essem, me putarem oblitum mei. At vereor, quoniam senectutem attigeris, ne ipse obliviosus sis factus: nam sunt qui senectuti imbecillitatem memoriae ascribunt. Ego enim memoriter memini, cum essem triremem prope inscensurus, petiisse te ut duos illos codices ad reditum usque meum ex Pannonia tuae fidei commendarem: tutius enim eos apud te futuros quam domi. Cum vero Constantinopolim revertissem, tu aberas in Italia. Quodsi, posteaquam in Italiam redii, illos serius repeto, nolo ob id putes me esse oblitum mei. Quare te rogo ut eos iure postliminii uti sinas, quod tu feceris, cum libri ad me reverterint. Vale ex Florentia Idibus Septembribus.

Ex his igitur quae Philelphus scribit apparet Aurispam, qui una cum eo Constantinopoli fuerat, tum, cum ille inde in Pannoniam ad Sigismundum regem profectus erat, in Italiam rediisse. Sigismundus autem a. 1423 et 1424 in Pannonia fuit, et saepius tum apud illum per legatos de rebus Graecorum actum est: cf. Aschbach Geschichte Kaiser Sigmunds v. III p. 194, v. IV p. 528. atqui Aurispa in libris, quos ex Graecia a se ablatos esse scribit in epistula supra indicata, ipsum Dionis codicem, quem a Philelpho acceperat, ponit ita, ***historiam Arriani de Alexandro, Strabonem de situ orbis et conditoribus civitatum, Dionem in Romana historia, multos libros Diodori Siculi et infinita alia.*** ex quo sequitur reliquos quoque codices ab illo indicatos eodem tempore in Italiam adlatos esse. ceterum accuratius etiam quo tempore Aurispa e Graecia redierit definitur, si recte coniecit Tiraboschius l. c. p. 299 eum una cum Io-

Tomaso, subito che accompagnato aveva il cardinale a Palazzo, se ne veniva in sur una mula con dua famigli a piè, e il più delle volte era vestito d'azzurro, e i famigli con gli abiti di moscavoliere o d'azzurro chiuso lunghi, con la berretta di preti in capo. Quo tempore autem Aurispa Florentiam redierit vel quam diu ibi vixerit traditum non inveni. sed postea partim Ferrariae partim Romae vixit. nam per aliquot annos secretarii apostolici munere functus est apud Eugenium IV et Nicolaum V pontifices: cf. Georg. vit. Nicol. Quint. pont. p. **195**. sub finem vitae autem Ferrariam rediit, ubi a. **1459** vel **1460**, ut supra diximus, mortuus est.

Iam vero epistulam quam edidimus scripsit Aurispa Basileae tum, cum concilio in eam urbem vocato multi homines litterarum studiosi eo convenerant. accuratius autem quo anno scripserit, quoniam pro more huius aetatis annum non indicavit, iis quae de legatis Bohemorum scribit definitur. quamvis enim saepius hoc tempore legati Bohemorum Basileam venerint, de quibus legationibus accurate disputavit Franciscus Palacky, Geschichte der Böhmen v. III 3 p. **43** et **63** seq., tamen ea quae Aurispa scribit non cadunt nisi in annum **1433**. nam postquam primis huius anni mensibus amplissima Bohemorum legatio Basileae fuit, eaque in patriam redeunte ab ipso concilio legati in Bohemiam missi sunt, sub finem mensis Iulii et primis diebus mensis Augusti et novi Bohemorum legati Basileam venerunt, et ii qui a concilio missi erant redierunt. e quibus legati Basileenses die quinto mensis Augusti de rebus a se in Bohemia gestis in concilio rettulerunt: cf. Palacky l. c. p. **123**. de his igitur rebus scribens Aurispa indicat se eo anno quem dixi Basileae fuisse et aestate eiusdem anni longius per Germaniam peregrinatum fuisse.*)

De Iacobino Thomasi Thebalducci, ad quem epistula scripta est, nihil compertum habeo;

---

anne Palaeologo, imperatore Byzantino, quem die 15 mensis Decembris a. 1423 Venetias venisse dicit, eo profectum esse. composui autem haec, ut codices illos ab Aurispa in Graecia collectos, quibus multi Graecorum scriptores tum primum apud Italos pervulgati sunt, anno 1423 vel 1424 demum in Italiam venisse constaret. nam in aliqua parte eorum scriptorum omnis scripturae memoria vel ipsis libris tum e Graecia ablatis vel apographis postea ex iis descriptis continetur. quod de Aeschyli codice, quem ipsum quoque Aurispae cura acceperat Nicolaus Nicolus, demonstravit G. Dindorfius praef. in Aesch. ed. Lips. a. 1865; idem in aliis scriptoribus, si accurate inter se collati fuerint codices, non minus certo intellegetur.

*) Olim ad annum 1432 epistulam et iter Aurispae rettuli praef. in Plin. p. 39, cum nondum cognita priore parte epistulae, in qua de rebus Bohemorum Aurispa scribit, ex eo quod in fine epistulae indicat, se expectare adventum cardinalis S. Crucis, tempus definivissem. nam cardinalem S. Crucis, h. e. Nicolaum Albergatum, episcopum Bononiensem, celebrem in historia eius temporis virum, a. 1432, tum cum e Gallia in Italiam rediret, Basileam venisse auctor est Carolus Sigonius de vit. Card. S. Crucis act. Sanct. Maii t. II p. 485. deinde auctumno eius anni et per maximam certe sequentis anni partem in Italia erat. sed mox eundem una cum tribus aliis cardinalibus cum mandatis pontificis Basileam missum anno 1434 ibi concilio praefuisse satis notum est. quamquam autem legati d. 24 mens. April. a. 1434 demum in concilium recepti sunt, ut scriptum est in actis concilii collect. concil. ed. Mansi v. 29 p. 89, tamen cardinalem S. Crucis iam praecedente anno mandata pontificis accepisse, ipsam missionem diu tractam esse constat: cf. Aschbach Geschichte Kaiser Sigmunds v. IV p. 100 seq. itaque cum ea quae Aurispa de cardinale S. Crucis scribit ad annum 1433 pertinere iam certum sit, eo ipso anno cardinalem in hac secunda legatione Basileam venisse vel famam de eius adventu ibi fuisse dicendum est.

sed celebrem eam familiam Florentiae illa aetate fuisse constat.*) Nicolaum autem, quem Aurispa de libris veterum scriptorum a se inventis certiorem fieri vult, promittens se ampliorem de his omnibus epistulam ad eum daturum esse, haud dubie dicit Nicolaum Nicolum, virum librorum recens inventorum tum in primis cupidum. cuius familiaritate et gratia Aurispa, sicut alii multi his studiis dediti, usus est. ceterum quoniam olim inimicitias quasdam inter utrumque fuisse traditum est, adeo ut Aurispa invidia Nicolai commotus Florentia abiisse dicatur (cf. Rosmini vita e disciplina di Guarino Veronese v. I p. 37), animadvertendum est ea quae de illo scribit Aurispa satis ostendere eas inimicitias, siquae umquam fuerunt, non duravisse. non minus clari illo tempore inter Florentinos fuerunt duo viri quorum nomina in extrema epistula scripta sunt, Ambrosius Traversarius Camaldulensis et Carolus Aretinus. quibus qui additus est tertius frater Iacobus, is, propterea quod una cum Ambrosio nominatus est, dubitari nequit quin sit Iacobus Tornaquincius Florentinus, monachus Camaldulensis, discipulus et amicus Ambrosii, cuius aliquot ad eum datae epistulae extant. eundem et Franciscus Philelphus et ipse Aurispa in epistulis ad Ambrosium scriptis commemoraverunt, Ambros. epist. ed. Mehus XXIV **46**, **58**, **59**; cf. Vespasian. vite di uom. ill. p. **241** ed. Flor., Mehus praef. in Ambros. Travers. epist. p. **16**. de cardinale S. Crucis vel Nicolao Albergato, episcopo Bononiensi, dictum est supra. hunc autem tum in legationibus comitari solebat Thomas Sarzanensis, is qui postea fuit pontifex Nicolaus V. cum utroque autem Aurispam tum, cum Bononiae erat, amice vixisse probant quae de iis ad Ambrosium Traversarium scripsit, Ambros. Travers. epist. ed. Mehus l. XXIV **51** et **54**.

Ergo de itinere ab Aurispa a. **1433** per Germaniam facto dicturi non morabimur in rebus sacris, quas ille partim Aquisgrani partim Coloniae se vidisse narrat. nam maxima pars earum rerum quas describit Aquisgrani, quam urbem corrupto, ut videtur, germanico nomine *Axi* dixit, ostentari solebat. de quibus rebus quae memoriae prodita sunt composuit H. I. Floss. geschichtliche Nachrichten über die Aachener Heiligthümer Bonn **1855**, multosque homines illo potissimum tempore ex omnibus regionibus ad eas res visendas confluxisse docuit idem p. **369**. ea autem quae de tribus magis et de capitibus virginum addita sunt ad Coloniam pertinere satis notum est. sed his omissis de bibliothecis, quas Aurispa adiit, et de libris manu scriptis, quos ibi repperit, pauca dicamus.

Coloniae igitur quam vidit bibliothecam, ea fuit ecclesiae metropolitanae, quam multos et

---

*) De Thebalducciorum familia in Ugolini Verini carmine de illustratione urbis Florentiae l. III ed. Florent. a. 1636 scripta sunt haec, quae Ricardus Schoenius collega mihi indicavit,

milleque tunc procerum ceciderunt funditus aedes.
vivit at egregiis stirps Thebalduccia factis
clara alio nuper Iacominia nomine dicta.
nemo nunc Bonii de semine restat, et omnis
Grimaldella domus cecidit.

eadem in principe eius carminis editione Lutetiae a. 1583 edita erant ita,

milleque tunc procerum ceciderunt funditus aedes.
nemo Thebalducci de semine restat, et omnis
Grimaldella domus cecidit.

antiquos libros manu scriptos, quibus postea quoque saepius viri docti in veteribus scriptoribus edendis vel emendandis usi sunt, habuisse scimus. e quibus codicibus qui aetatem tulerunt olim descripti sunt ab Iosepho Hartzheim, catalogus historicus criticus codicum mss. bibliothecae ecclesiae metropolitanae Coloniensis a. **1752**. nunc, postquam paucis abhinc annis in suum locum, e quo sublati erant, restituti sunt, spes facta est fore ut mox accuratius describantur. in his igitur etiam nunc superest liber quem Aurispa commemoravit, *Consulti de arte dicendi.* is enim est codex **166** in Hartzheimii catalogo p. **137** breviter descriptus, in quo praeter Censorini librum de die natali et scripta rhetorica complura Chirii Fortunatiani de arte rhetorica libri tres scripti sunt. Consulti autem nomen, quo Chirium Fortunatianum Aurispa significat, in inscriptione secundi libri invenitur ita, *ars consulti rhetorica. incip. liber II feliciter.* codice in rhetoribus latinis edendis usus est Halmius, qui eum septimo saeculo scriptum esse existimavit praef. in rhet. lat. p. VI.

Gravioribus casibus adflicta est Maguntina ecclesiae metropolitanae bibliotheca. quae cum ipsa quoque copia librorum manu scriptorum olim insignis esset, eorum magna pars iam pridem neglegentia hominum et bellicis tumultibus distracta est; reliqui a. **1793** incendio perierunt. codices qui post bellorum devastationem ibi supererant a. **1654** indicati sunt in vetere catalogo, de quo dictum est in Serapeo a. **1854** p. **317**, et postea a Gudeno syllog. I var. diplom. Francof. a. **1728** p. **337** seq. et cod. diplom. v. II (a. **1747**) p. **563** seq. varios bibliothecae casus narravit Franciscus Werner, der Dom von Mainz u. seine Denkmäler v. I p. **349** seq. denique indicem antiquissimorum codicum, quos olim Maguntiae in bibliotheca ecclesiae metropolitanae fuisse constat, nuper composuit Franciscus Falk in Serapeo a. **1869** p. **193** seq. ex Romanorum autem scriptorum codicibus qui huc pertinent duos commemoravisse sufficiat, alterum Livii codicem praestantissimum, e quo aliquae partes libri tricesimi tertii et libri quadragesimi primum editae sunt in editione Moguntina a. **1519**, alterum Lucretii codicem nono saeculo scriptum, qui nunc Leidensis est, olim Maguntinus fuit, sicut probat inscriptio libri a Lachmanno comm. in Lucret. p. 5 indicata, *Iste liber pertinet ad librariam Sancti Martini ecclesie Maguntin. M. Sindicus subscripsit anno* **1479**. hanc igitur bibliothecam, quae prae ceteris, quas olim Maguntiae fuisse scimus (cf. Serap. **1854** p. **317**), fama et copia librorum excellebat, tum cum integra erat, Aurispa adiisse videtur. codicem autem panegyricornm latinorum qui feruntur, quem ibi se invenisse scribit. communem omnium librorum qui postea scripti sunt fontem fuisse probavi praef. in Plin. p. 38 seq. nam et ipse Aurispa iis quae scribit se non novisse eas orationes indicat, neque ante eum ulla earum mentio apud Italos facta est. sed post eam aetatem multi codices illarum orationum in Italia scripti sunt, iique scripturae genere ut in Plinii oratione ita in reliquis adeo inter se consentientes, ut dubitari nequeat quin ex uno archetypo tum primum invento omnes ducti sint.

In eadem bibliotheca, ut videtur, Aurispa commentarium Donati in Terentii fabulas, quem post panegyricorum codicem appellat, invenit. ne huius quidem libri antea a quoquam apud Italos mentionem fieri inveni, neque puto Aurispam, si eum novisset, hunc inter codices veterum scriptorum a se repertos commemoraturum fuisse. atqui nunc unus superest Donati codex illa aetate superior, Parisinus undecimo saeculo scriptus, et praeter hunc alii complures quinto decimo saeculo scripti,

quorum librorum lectiones quamquam non cognovimus nisi in vita Terentii, quam ad fidem codicum recensitam et emendatam edidit Ritschelius in Suetonii reliquiis ed. Reifferscheid p. **26** seq., tamen ex his ipsis quae Ritschelii opera prolata sunt satis certo colligitur excepto Parisino libro reliquos omnes ex uno archetypo eoque a diversa ab illo stirpe ducto descriptos esse. nam et plurima sunt scripturae vitia, quae cum pariter in recentibus libris omnibus inveniantur, sed Parisini codicis fide tollantur, e communi fonte ad illos propagata esse certum est, et alia quae in uno Parisino codice corrupta, in reliquis recte scripta sunt, neque tamen coniectura inveniri poterant, illum communem scripturae fontem non potuisse e vetere Parisino derivari docent. *) neque dubitari potest quin quod in exigua operis parte certis indiciis comprobatum sit per universum librum valeat, eaedemque codicum rationes, quas in vita Terentii deprehendimus, ad Donati commentarium, cuius editionem ad librorum manu scriptorum fidem expressam diu desideramus, pertineant. itaque praeter veterem Parisinum codicem unum exemplum olim fuisse apparet, cuius apographis quinto decimo saeculo Itali utebantur. cumque ante eum codicem, quem Aurispa a. **1433** Maguntiae vidit, alii Donati codices tum non videantur noti fuisse, haud dissimile veri est vel ipsum Maguntinum codicem paulo post in Italiam travectum vel descriptum ex eo exemplum communem Italicorum codicum parentem fuisse et, sicut de panegyricis supra diximus, ita Donati commentarium Aurispae invento primum pervulgatum esse.

Plinii codex, quem Basileae esse scribit Aurispa, continebat quinque libros de medicina eos qui, quia maximam partem ex naturali historia Plinii excerpti sunt, physica Plinii in libris manu scriptis dici solent, sicut in Pragensi codice, quem Titzius praef. in Plin. epist. p. 2 descripsit, postea pravo invento Plinii Valeriani nomine inscripti sunt. videtur autem idem fuisse codex, quo postea Albanus Torinus in editione scriptorum latinorum de medicina Basileae a. **1528** facta usus est. is enim in his Plinii qui dicitur libris ex vetere codice multa se emendavisse in praefatione indicat et in marginibus editionis non nullas scripturas ex eo protulit. ceterum Aurispa huius libri, cui ipse non multum tribuebat, propter nomen auctoris mentionem fecit, vel quia viri

*) Codicum rationes sic uti dixi in vita Terentii constituit Ritschelius Suet. rel. ed. Reiffersch. p. 481. quo facilius autem illud de communi origine librorum quinto decimo saeculo scriptorum intellegatur, exempla quaedam scripturae, quae maxime huc pertinent, adscribam. corruptae igitur in communi archetypo scripturae, quam integram servavit Parisinus, exempla sunt haec: p. 27,6 ed. Ritsch. *quamuis cor* (vel *cornelius*) *nepos* pro *quamvis et* (*ex* Paris.) *Nepos*, p. 32,15 *in arcadia sinu leucadiae* pro *in Arcadia sive Leucadiae*, p. 33,2 *amissarum fabularum* pro *amissarum sarcinarum*, p. 33,4 *quae equiti* pro *quae post equiti*, p. 34,1 *liuio* pro *licinio*; vel mutatae verborum collocationes, ut p. 27,9 *fucosas laudes petit* pro *laudes fucosas petit*, p. 27,11 *putat pulchrum* pro *pulchrum putat*, p. 31,6 *successisse sibi* pro *sibi successisse*. diversam autem horum librorum stirpem a vetere Parisino codice esse in primis probant ea quae in hoc uno gravi lacuna adfecta, in reliquis partim levioribus vitiis corrupta, ceterum integra servata sunt, p. 28,9 *iussus ante caerio ore uestitu* pro *iussus ante Caecilio* (*cerio* codd.) *recitare, ad cenantem cum venisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contemptiore vestitu*; vel minora talia, p. 27,10 *uocē dum et inhuius et* pro *vocem divinam* (*uoce diuina* codd.) *inhiat*, p. 30,4 *refutare* pro *se tutari*. quae cum ita sint, siquando libri quinto decimo saeculo scripti graviore modo inter se dissentiunt vel etiam unus et alter ad Parisini scripturam accedit, dubitari nequit quin illud interpolationi Italorum, qua omnes adfecti sunt, tribuendum sit.

docti Plinii naturalis historiae libros tum cupide quaerebant, ut corruptos codices emendarent, vel quia Nicolaus Nicolus spem conceperat fore ut Plinii libri de bellis germanicis invenirentur eaque de re paucis annis ante cum Poggio egerat.

Denique Tertulliani libros, quos Thomam Sarzanensem secum Basileam adlaturum esse narrat Aurispa, illo tempore maxima cura expetitos esse, postquam codicis paulo ante a Poggio inventi et in Italiam translati exempla tum primum pervulgari coepta sunt, satis notum est: cf. Mehus praef. in Ambros. Travers. epist. p. 39.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

F. AUGUSTUS THOLUCK, Dr.

I. Publice ex instituto Lenziano *dicta classica prophetarum* explicabit ter p. hebd. diebus Lun. Mart. Merc. h. IX-X.
II. Privatim 1) *epistolam ad Hebraeos datam* quater p. hebd. h. X-XI interpretabitur. 2) *encyclopaediam et methodologiam theologicam* tradet bis p. hebd. d. Jov. et Ven. h. VI-VII vesp.
III. In seminario regio theologico *classem exegeticam Novi Testamenti* moderari perget.

JULIUS MUELLER, Dr.

I. Publice *nonnullas S. Scripturae pericopas ad usum ecclesiae selectas* explicabit d. Sat. h. X-XI.
II. Privatim 1) *evangelium Ioannis* interpretabitur quinis p. hebd. diebus h. X-XI. 2) *posteriorem theologiae practicae partem* tradet sexies p. hebd. h. VII-VIII.

JUSTUS LUDOVICUS JACOBI, Dr. DECANUS.

I. Publice *Gnosticorum systemata* exponet d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim 1) *historiae ecclesiae universalis partem priorem* enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII. 2) *theologiam symbolicam* docebit quater p. hebd. h. XII-I.
III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr.

I. Publice *geographiam biblicam* docebit semel p. hebd. d. Merc. h. III-IV.
II. Privatim 1) *grammaticam Hebraicam et Chaldaicam* comparative exponet quater p. hebd. h. matut. VII-VIII. 2) *archaeologiam Hebraicam* tradet quater p. hebd. h. III-IV.
III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *epistolam Iacobi* interpretabitur d. Merc. h. VIII-IX.
II. Privatim 1) *epistolam Pauli ad Galatas datam* interpretabitur bis p. hebd. diebus Mart. et Iov. h. VIII-IX. 2) *theologiam biblicam Novi Testamenti* exponet quinquies p. hebd. h. XII-I.
III. In seminario regio theologico *classem homileticam et catecheticam* moderari perget.

ADOLPHUS WUTTKE, Dr.

I. Publice *prolegomena theologiae dogmaticae* tradet bis p. hebd. d. Ven. h. III-IV et d. Sat. h. IX-X.
II. Privatim *theologiam dogmaticam* docebit senis p. hebd. diebus h. VIII-IX.
III. In seminario regio theologico *exercitationes dogmaticas* moderari perget.
†

EDUARDUS CAROLUS AUGUSTUS RIEHM, Dr.

I. Publice *Amosi vaticinia* explicabit bis p. hebd. d. Merc. h. III-IV et d. Sat h. IX-X.
II. Privatim *Psalmos* interpretabitur quinis p. hebd. scholis h. IX-X.

b. Professorum extraordinariorum.

HENR. ERN. FERD. GUERICKE, Dr.

I. Publice *epistolam Pauli ad Philemonem datam* interpretabitur d. Sat. h. XI-XII.
II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem alteram* tradet quinis senisve diebus h. XI-XII.

C. CHR. LEBR. FRANKE, Dr.

I. Publice *historiam artis catecheticae* tradet d. Lun. h. II-III.
II. Privatim *artem catecheticam* docebit d. Mart., Merc., Iov. h. II-III.

AUG. FERD. DAEHNE, Dr.

I. Publice *epistolam Pauli ad Galatas datam* latino sermone interpretabitur d. Mart. et Jov. h. VIII-IX.
II. Privatim *epistolam Pauli ad Romanos scriptam* explicabit quotidie h. X-XI.

GUSTAVUS KRAMER, theol. et phil. Dr.

I. Privatim *didacticam* docebit d. Mart. et Ven. h. V-VI.
II. In seminario regio theologico *exercitationes paedagogicas* moderari perget.

MARTINUS KAEHLER, Lic. theol.

I. Publice *epistolam Pauli ad Philippenses scriptam* interpretabitur semel p. hebd. d. Sat. h. IX-X.
II. Privatim *theologiam ethicam* quinis senisve horis tradet h. VIII-IX.

c. Licentiati privatim docentis.

EDUARDUS BOEHMER, Lic. theol. Dr. phil.

Scholas non habebit.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

CAROLUS WITTE, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *titulum Digestorum de liberis et postumis* interpretabitur d. Saturni h. VII-VIII.
II. Privatim 1) *historiam iuris Romani* enarrabit quotidie praeter diem Martis h. XII-I. 2) *ius commune Borussicum* docebit quinquies p. hebd. h. VII-VIII.

AUGUSTUS ANSCHUETZ, Dr.

I. Publice *ius societatum quae Genossenschaften vocantur* tradet d. Sat. h. IX-X.
II. Privatim 1) *ius publicum confoederationis Germaniae septentrionalis* docebit d. Merc. et Saturni h. X-XI. 2) in seminario iuridico *exercitationes iuris civilis practicas* instituet ter per hebd. d. Mart. Iov. et Ven. s. XI-XII.

HENRICUS DERNBURG, Dr. Decanus.

I. Publice *ius familiarum et hereditarium Borussicum* docebit binis per hebd. diebus h. def.
II. Privatim 1) *institutiones iuris Romani* exponet quinquies h. XI-XII. 2) *Romanorum ius hereditarium* tradet quater p. hebd. h. XII-I.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *demonstrationes processuales practicas* moderabitur d. Merc. h. IX-X.
II. Privatim 1) *processum civilem communem respectu habito processus Borussici* docebit quotidie h. VIII-IX. 2) *Pandectarum partem generalem* tradet quotidie praeter diem Merc. h. IX-X.

HUGO MEYER, Dr.

I. Publice 1) de *processu concursus tam communi quam Borussico* disseret d. Sat. h. XI-XII. 2) in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis practicas* instituet d. Sat. h. IX-X.
II. Privatim *ius criminale* docebit quinquies per hebd. h. IX-X.

b. Professoris extraordinarii.

ERNESTUS MEIER, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *legem fundamentalem Borussicam (Preussische Verfassungsurkunde)* interpretabitur d. Merc. h. XI-XII.
II. Privatim 1) *ius publicum tam Germanicum quam Borussicum* docebit quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. et Ven. h. X-XI. 2) *ius ecclesiasticum* cum *Catholicorum* tum *Protestantium* tradet quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. et Ven. h. IX-X.

c. Doctoris privatim docentis.

ALFREDUS PERNICE, Dr.

I. Gratis *exercitationes exegeticas* moderari perget semel p. hebd. h. def.
II. Privatim *pandectas* docebit quotidie h. X-XII.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

ERNESTUS BLASIUS, Dr.

I. Publice *chirurgiam vulnerum specialem* d. Sat. h. VII mat. exponet.
II. Privatim *de morbis vasorum et nervorum chirurgicis* ternis p. hebd. hor. def. disseret.

ALFREDUS GUIL. VOLKMANN, Dr.

I. Publice *anatomiam nervorum* d. Lun. et Iov. h. XI docebit.
II. Privatim *physiologiam sensuum* explicabit d. Ven. h. IV-VI.

JULIUS VOGEL, Dr.

I. Publice selecta *anatomiae pathologicae* capita exponet d. Iov. et Ven. h. IV.

II. Privatim 1) *encyclopaediam, methodologiam et historiam medicinae* tradet d. Lun. et Mart. h. IV. 2) *pathologiam et therapiam generalem* docebit d. Lun., Mart., Iov., Ven. h. V.

III. Privatissime exercitationes practicas in *microscopii usu* et in *anatomia pathologica* moderandas offert h. def.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr.

I. Publice *de via et ratione salutis publicae augendae* d. Merc. et Sat. h. IX-X.

II. Privatim *medicinam publicam* senis p. hebd. diebus h. VIII-IX.

THEODORUS WEBER, Dr.

I. Publice *demonstrationibus clinicis ambulatoriis* quotidie h. XII½-I½ praeerit.

II. Privatim 1) *scholas clinicas* habebit quotidie h. XI½-XII½. 2) *exercitationibus clinicis* praeerit.

ROBERTUS OLSHAUSEN, Dr.

I. Publice *morbos annexorum uteri* exponet d. Merc. h. XII-I.

